



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 153. Dissidia quorumdam Regum cum Papa ob beneficiorum collationes

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

Sæcul. XV.  
A.C. 1460

§. CLII.

*Legionensis Episcopus ad Pontificem  
a Castellano Rege missus.*

**S**ub idem tempus summum Pontificem, dum adhuc Senis agebat, Legionensis Episcopus adiit, qui ab Henrico IV. Castellæ Rege eo decretus, multa quidem & magnifica deferebat verba, sed prorsus inania, eoquod nihil in mandatis haberet, quod pro sustinendis belli expensis adversus Turcas polliceretur. Cum autem paucis post adventum suum diebus ibidem Senis obiisset, Pius defuncto Episcopo Joannem de Turrecremata Cardinalem ex Ordine FF. Prædicatorum suffecit. Ast cum Rex Henricus Virum respueret, nec eidem Episcopatus sui possessionem indulgeret, acres contentiones ex hac repulsa Regem inter & Pontificem emersere.

§. CLIII.

*Contentiones Pontificis cum aliis Regibus propter collationes beneficiorum.*

**A**lia quoque contentio inter Papam & Casimirum Poloniæ Regem suborta est

est de Ecclesia Cracoviensi, cui vacanti <sup>Sæcul. XV.</sup>  
Pius quemdam Cardinalis Sbignei Ne-<sup>A. C. 1460.</sup>  
potem præfecerat, Rex autem Cancella-  
rium suum a Canonicis nonnullis electum  
nominabat. Hæc controversia usque eo  
processit, ut spretis Papæ adhortationi-  
bus, minis, atque anathematis fulmine,  
quod in Casimirum ejusque fautores vi-  
brabat, Nepos Cardinalis juri suo cede-*Cromer.*  
re compelleretur, ac Rex palam conte-<sup>lib. 24.</sup>  
staretur, se Regnum prius amissurum,<sup>Michov. l. 4.</sup>  
quam Episcopum quemquam in suis di-<sup>cap. 64.</sup>  
tionibus se invito passurum. Hac inju-  
ria nihil acerbius, aut molestius summo  
Pontifici accidere poterat.

Nec magis pacata ex Galliis spirabat *An. Sylv.*  
aura. Quippe Carolus VII. Galliarum <sup>epist. 374.</sup>  
Rex vacanti Ecclesiæ Tornacensi Cardi-<sup>& 375.</sup>  
nalem Constantensem subrogari petie-  
rat; ast Pius Episcopum Tullensem Bur-  
gundiæ Ducis clientem prætulerat,  
quamquam tunc Tornacum potestati Re-  
gis obnoxium esset. Extant hanc in rem  
epistolæ a Pio II. ad Carolum Regem  
Galliarum datæ, ex quibus appareat, quod  
hac in causa Pontifex quodammodo  
victor extiterit; quamvis enim Tulensis  
Episcopus Tornacensem Ecclesiam non  
obtinuisse, æque tamen ipse Constantien-  
sis Cardinalis ea spoliatus fuit, atque  
Ponti-

Sæcul. XV. Pontifici alium nominandi jus relictum  
A.C. 1460. est, qui ad hanc Ecclesiam Guilielmum  
Phelasium Monachum Benedictum  
Velleris aurei Cancellarium, ac Virum  
meritorum gloria insignem plena aucto-  
ritate evexit. Hac ratione Pontifex in  
Galliis obtinuit, quod Hispania & Polo-  
nia eidem pertinacius concedere recu-  
savit.

## §. CLIV.

*Legatio Patriarcharum orientis ad  
Pontificem.*

Papa diutius Senis hærens plurimos,  
qui Mantuam necdum pervenerant,  
excepit Legatos, quos inter præcipui nu-  
merabantur Patriarcharum Orientis Ora-  
tores, cuius Legationis princeps erat  
Archidiaconus quidam Antiochenus,  
Moyses nomine, Vir Græcis ac Syris li-  
teris apprime eruditus, & magni apud  
Orientales nominis. Is ab Antiocheno,  
Alexandrino, & Jerosolymitano Patriar-  
chis missus Papam adiit, exposuitque,  
quod præfati Patriarchæ decretum Con-  
cilii Florentini de communione utrius-  
que Ecclesiæ Græcæ & latinæ, hucus-  
que non receperint, eoquod dissensionum  
fator diabolus eos impediisset; nunc ve-  
ro Dei instinctu commoti, conventu suo-  
rum